The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de moribus ecclesie catholice contra manicheos (fol.2rb-va)

1. Beatus quantum existimo. neque illi dici potest qui non habet quod amat qualecumque sit. neque qui habet quod amat. si noxium sit. neque qui non amat quod habet. etiam si optimum sit.

   Beatus autem, quantum existimo, neque ille dici potest, quem non habet quod amat, qualecumque sit, neque qui habet quod amat, si noxium sit, neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit.

   Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.3.4 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.6, ll.4-7).

2. Quartum restat ubi uita beata queat inueniri. cum quod est hominis optimum. et amatur. et habetur. quid est enim aliud quod dicimus frui. nisi presto habere quod diligis. neque quisquam beatus est. qui non fruitur. eo quod est hominis optimum. nec quisquam qui eo fruitur non beatus.

   Quartum restat, ut uideo, ubi beata uita inueniri queat, cum id quod est hominis optimum, et amatur et habetur. Quid est enim aliud quod dicimus frui, nisi praesto habere quod diligis? Neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo quod est hominis optimum nec quisquam, qui eo fruitur, non beatus.

   Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.3.4 (J. Bauer ed., CSEL 90, pp.6-7, ll.13-18).

3. Quod autem corpori simul et anime. aut soli anime optimum est. Id est hominis optimum.

   Siue enim utrumque siue corpus solum siue anima sola nomen hominis teneat, non est hominis optimum quod optimum est corporis; sed quod aut corpori simul et animae aut soli animae optimum est, id est hominis optimum.

   Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.4.6 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.9, ll.24-27).

4. Summum bonum corporis non uoluptas eius. non indoloria. non uires. non pulcritudo. non uelocitas. et si quid aliud in bonis corporis numerari solet. sed omnino anima.

   Est ergo summum corporis bonum, non uoluptas eius, non indoloria, non uires, non pulchritudo, non uelocitas et si quid aliud in bonis corporis numerari solet sed omnino anima.

Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.5.7 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.9, ll.4-7).

5. Deum si sequimur bene. si assequimur. non tantum bene. sed etiam beate uiuimus.

   Deus igitur restat quem si sequimur, bene, si assequimur, non tantum bene sed etiam beate uiuimus.

   Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.6.10 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.13, ll.6-8).

6. Bonorum summa nobis deus est. deus est nobis summum bonum. neque infra, remanendum nobis est. neque ultra querendum.

   Bonorum summa deus nobis est. Deus nobis est summum bonum. Neque infra remanendum nobis est neque ultra quaerendum; alterum enim periculosum, alterum nullum est.

   Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.8.13 (J. Bauer ed., CSEL 90, pp.15-16, ll.18-21).

7. Non est angelus cum inheremus deo. nostra mente potentior.

   Non separat angelus; non enim est angelus, cum inhaeremus deo, nostra mente potentior.

   Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.11.19 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.23, ll.7-8).

8. Toto mundo est omnino sublimior mens inherens deo.

   Non separat uirtus; nam si uirtus hic illa nominata est, quae aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mens inhaerens deo.

   Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.11.19 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.23, ll.8-11).

9. Si querimus quid sit bene uiuere. id est ad beatitudinem uiuendo tendere id erit. profecto. amare uirtutem. amare sapientiam. amare ueritatem. et amare ex toto corde. ex tota anima. ex tota mente uirtutem. quae inuiolabilis et inuicta est. sapientiam. cui stulticia non succedit. ueritatem que conuerti. atque aliter quam semper est sese habere non nouit.

   Si ergo quaerimus quid sit bene uiuere, id est ad beatitudinem uiuendo tendere, id erit profecto amare uirtutem, amare sapientiam, amare ueritatem et amare *ex toto corde* *et* *ex tota anima* *et* *ex tota mente* uirtutem quae inuiolabilis et inuicta est, sapientiam cui

stultitia non succedit, ueritatem quae converti atque aliter quam semper est sese habere non nouit.

Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.13.22 (J. Bauer ed., CSEL 90, pp.26-7, ll.4-10). cf. Matt. 22:37

10. Quid erit aliud optimum hominis. nisi cui herere beatissimum? Id autem solus deus. cui herere certe non ualemus. nisi dilectione. amore. caritate. Quod si uirtus ad beatam uitam nos ducit. nichil omnino esse uirtutem affirmauerim. nisi summum amorem dei.

    Nam quid erit aliud optimum hominis, nisi cui est haerere beatissimum? Id autem solus Deus est, cui haerere certe non ualemus nisi dilectione, amore, caritate. Quod si uirtus ad beatam uitam nos ducit, nihil omnino esse uirtutem affirmaverim, nisi summum amorem dei.

    Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.14.24-15.25 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.29, ll.16-18, 1-2).

11. Temperantia est amor integrum se prebens. ei quod amatur. fortitudo. amor facile tolerans omnia. propter quod amatur. iustitia. amor soli amato seruiens. et propterea recte dominans prudentia. amor. ea quibus adiuuatur ab eis quibus impeditur. sagaciter seligens. sed hunc amorem non cuiuslibet sed dei esse diximus. id est summi boni. summe sapientie. summeque concordie. Qua etiam diffinire sic licet. ut temperantiam dicamus esse amorem sese deo integrum incorruptumque seruantem. fortitudinem amorem. omnia propter deum facile perferentem. Iustitiam. amorem. deo tantum seruientem. et ob hoc bene imperantem. Certis que homini subiecta sunt. prudentiam amorem bene discernentem. ea quibus adiuuetur. in deum. ab hiis quibus impediri potest.

    Itaque illas quattuor uirtutes, quarum utinam ita in mentibus uis ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor integrum se praebens ei quod amatur, fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur, iustitia amor soli amato seruiens et propterea recte dominans, prudentia amor ea quibus adiuuatur ab eis quibus impeditur sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cuiuslibet sed dei esse diximus, id est summi boni, summae sapientiae summaeque concordiae. Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem deo sese integrum incorruptumque seruantem, fortitudinem amorem omnia propter deum facile perferentem, iustitiam amorem deo tantum seruientem et ob hoc bene imperantem ceteris quae homini subiecta sunt, prudentiam amorem bene discernentem ea quibus adiuuetur in deum, ab his quibus impediri potest.

    Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.15.25 (J. Bauer ed., CSEL 90, pp.29-30, ll.5-19).

12. Amore petitur. amore queritur. amore pulsatur. amore reuelatur. amore denique in eo quod reuelatum fuerit permanetur.

    Amore petitur, amore quaeritur, amore pulsatur, amore reuelatur, amore denique in eo quod reuelatum fuerit permanetur.

    Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.17.31 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.36, ll.12-14).

13. Nichil tam durum atque ferreum quod non amoris igne uincatur.

    Nihil est tamen tam durum atque ferreum, quod non amoris igne uincatur.

    Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.22.41 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.46, ll.1-3).

14. Amisit iob omnes diuicias. et factus repente pauperrimus. tam in concussum animum tenuit et infixum deo. ut satis demonstraret non illas sibi fuisse magnas. sed se illis. sibi autem deum.

    Amisit namque ille omnes diuitias et factus repente pauperrimus tam inconcussum animum tenuit et infixum deo, ut satis demonstraret, non illas sibi fuisse magnas, sed se illis, sibi autem deum.

    Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.23.42 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.47, ll.13-16).

15. Multo mirabilius non inherere diuiciis quamuis possideas. quam omnino non possidere.

    Multo est enim mirabilius non inhaerere istis, quamuis possideas, quam omnino ea non possidere.

    Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.23.42 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.48, ll.19-21).

16. Si deus est summum hominis bonum. quod quod negari non potest. sequitur. profecto quod summum bonum appetere est bene uiuere. ut nichil aliud sit bene uiuere. quam toto corde tota anima tota mente deum diligere. a quo existit ut incorruptus in eo amor. atque integer custodiatur. quod est temperantie. ut nullis frangatur incommodis. quod est fortitudinis. nulli alii seruiat. quod est iusticie. uigilet in discernendis rebus. ne fallacia paulatim. dolusue subrepat. quod est prudentie.

    Si enim deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis, sequitur profecto, quoniam summum bonum appetere est bene uiuere, ut nihil sit aliud bene uiuere quam toto corde, tota anima, tota mente diligere deum, a quo existit, ut incorruptus in eo amor

atque integer custodiatur, quod est temperantiae, ut nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis, nulli alii seruiat, quod est iustitiae, vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusue subrepat, quod est prudentiae.

Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.25.46 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.51, ll.1-9).

17. Ille se satis diligit. qui sedulo agit. ut summo et uero perfruatur bono.

Siquidem ille se satis diligit qui sedulo agit, ut summo et uero perfruatur bono; quod si nihil est aliud quam deus, ut ea quae dicta sunt docuerunt, quis cunctari potest, quin sese amet, qui amator est dei?

Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.26.48 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.53, ll.5-8).

18. Nullus certior gradus. ad amorem dei quam hominis. erga homines caritas.

Immo uero ita debet, ut nullus certior gradus ad amorem dei fieri posse credatur quam hominis erga hominem caritas.

Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.26.48 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.53, ll.9-11).

19. Diliges proximum tuum tanquam te ipsum. te ipsum salubriter diligis. si plus quam te diligis deum. Quod igitur agis tecum. id agendum cum proximo est. hoc est etiam ut ipse perfecto amore deum diligat. non enim eum diligis tamquam te ipsum. si non ad id bonum ad quod ipse tendis adducis.

Dicit ergo secundum praeceptum esse: *Diliges proximum tuum tamquam teipsum.* Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quam te diligis deum. Quod igitur agis tecum, id agendum cum proximo est; hoc est, ut etiam ipse perfecto amore deum diligat. Non enim eum diligis tamquam teipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis, adducis.

Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.26.49 (J. Bauer ed., CSEL 90, pp.53-4, ll.5-11). cf. Matth. 19:19

20. Duobus modis peccatur in hominem. uno. si ledatur. alio. si cum potest non adiuuetur.

Sed cum duobus modis peccetur in homine, uno si laedatur, alio si cum potest non adiuuetur eaque ipsa sint quibus mali homines esse dicantur, quorum neutrum, qui diligit facit, satis, opinor, quod uolumus demonstrat ista sententia: *Dilectio proximi malum non operatur.*

Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 1.26.50 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.54, ll.5-10). cf. Rom. 13:10.

21. Hoc maxime esse dicendum est quod semper eodem modo in sese habet quod omni modo sui simile est. quod nulla ex parte corrumpi aut mutari potest. quod non subiacet tempori. quod aliter non se habere quam habebat antea non potest.

    Hoc enim maxime esse dicendum est, quod semper eodem modo sese habet, quod omnimodo sui simile est, quod nulla ex parte corrumpi ac mutari potest, quod non subiacet tempori, quod aliter nunc se habere quam habebat antea non potest.

    Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 2.1.1 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.88, ll.9-13).

22. Malum non secundum essentiam. sed secundum priuationem dicitur.

    Ita et malum ostenditur quomodo dicatur, non enim secundum essentiam, sed secundum priuationem uerissime dicitur; et natura cui noceri possit apparet.

    Augustinus Hipponensis, *De moribus ecclesiae catholicae et de moribus Manichaeorum*, 2.4.6 (J. Bauer ed., CSEL 90, p.92, ll.10-12).